

pitabat autem, illique vitale quiddam inesse visum est, ut spongia & urtica marina, quas nostri Elshouwe vocant; quarum innumera aestate in Oceano fluitant, exenteque mari diffluunt, ac diutius manibus contrectata, liquefcunt, inducto pruritu ac mordaci uredine, unde nomen id obtinuerunt. Postmodum monstrum delapsum est ex utero ad unco rostro, longo teretique collo, oculis vibrantibus, caudâ acuminatâ, eximia pedum agilitate. Id, post primum lucis intuitum, conclave stridoribus implet, atque ulro citroque discurrens latebras persequitur. Tandem mulieres pulvinis impetunt ac suffocando perimunt. Hoc monstri genus quoniâ, hirudinis more, sugillando sugendoque foetui infestum est, ac sanguinem adimit, Sanguisugam nominant, vulgo Sungen. Postremo mulier hac plus satis delassata, non sine summo vitae discrimine, prolem masculam edidit, à monstro ita excarnificatam, ut à sacra lotionem quam minimum vitæ superesset. Mulier vero egre refocillata, quas molestias ac torturas, perpeffa sit, optimâ fide, mihi enarravit: illique præscripsi saluberrimam vitæ rationem; tum quæ restaurandis firmandisque viribus sunt accommodata. Erat enim prorsus elumbis atque enervata. Hæc ibi Lævinus Lemnius. Quæ verè continent naturæ quædam miracula. Nobis autem miserabilem Ecclesiæ Dei in terris conditionem figurâ & similitudine suâ ob oculos ponunt. Est ibi vulgus hominum naturalium, carnalium & mundanorum, in quibus ne externa quidem forma veri Christianismi deprehenditur. His incubant pseudopolitici, & pseudoprophetae, in fidei & morum doctrina; Monstrorû & noxiarû bestiarû, huic Sanguisugæ, à Lemnio descriptæ, non absimiles, à Diabolo animatæ & actæ, ejusque suggestionem & præmotionem, dominantes laborantes ac tumultuantes, in Republica, Ecclesiis & Scholis, ad omnia ibi deprepassendum & corrumpendum. Sunt simul & aliqui Dei filii: sed verè, propter infirmitatem spiritualis suæ naturæ, & diabolicas molitiones, infestationes & morsûs ejusmodi noxiarum bestiarum, admodum macilentis, agrè spirantes ac vitam trahentes, & in quibus, præter spiritum vitæ Christi, adhuc multum veteris Adami & corruptæ naturæ superest; sive in populo eos consideremus: sive in Curia, Ecclesiis & Scholis. Hinc ergo mirandum non est, in externa Dei Ecclesia, tot, cum tempore, nasci & foveri noxios, in doctrina fidei & morum, errores ac superstitiones, & tot grassari vitia ac peccata: & ubi jam singulari quadam Dei gratiâ reformatio aliqua in doctrina, cultu publico, & moribus hominum, instituta est, illam inviolatam diu permanere non posse; sed novis in dies doctrinæ &